



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

In Lvcaë Cap. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

veniae concipienti, quod utrumque illis verbis expressit, *Quanti mercenarij, &c. Ego autem fame pereo: Nec nisi cum emendationis proposito, & inuocatione Dei, quod expressit quum diceret, Surgam, & ibo ad Patrem meum, quod est relinquere peccatum, & ire ad Deum, & dicam, Pater peccavi, &c. Tunc demum accurrat Pater, & audita confessione peccati, iubet redde di stolam primam. Rursum quum idem Calvinus penitentiam ponit in solo quotidiano profectu iultorum, eodem lib. & cap. num. 8. ut sic penitentiae necessitatem & usum, quale seruat Ecclesia, explodat, verba Christi in hoc cap. illam euidenter refutant ubi dicit: *Quam super 99. iustis qui non indigent penitentia.* Hic enim necessario fatendum est, aliquam esse penitentiam peccatoribus necessariam, qua iusti non indigent. Deinde quotidiano profectu omnes iusti indigent. Vide ampliore hac de re contra Calvinum disputationem in Prompt. nostro Catholico.*

In parte  
Quadragesimae, in  
Sabbat.  
hebdō. 2.

### IN LUCÆ CAP. 16.

9. *Vt cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Eleemosynarum  
retributio  
aeterna.

QUUM duo hic locus doceat, eleemosynis retribui vitam aeternam, & Sanctos pro nobis intercedere, ut SS. Patres docent in Prompt. Cath. in Dom. 8. post Pentec. à nobis citati, utrumque conuellit Calvinus. Prius, quia Christus humano more loquitur, *nostram videlicet humanitatem oportuni refugij nobis instar fore, sicut aduerso casu percussus ab illis sustentari solet quibus in prospera fortuna benefecit.* Posteriorius, quia *hoc modo periret omnis eleemosyna quae indignis impenditur. Illi enim pro nobis intercedere non possunt. Sed utraque cauillatio insulsa est. Prior, quia Christus non solum humano more loquitur de aliquo refugio oportuno humanitati nostrae reddendo, sed diuino*

Caluini  
cauillatio  
duplex  
reijcitur.



diuino præterea more ac modo loquitur, promittens beneficentiæ nostræ non quodlibet refugiū, sed ipsam vitam æternam. Docet illos quibus benefecimus, *recipere nos in æterna tabernacula*, id est, Christum propter illos, nō solū ratione operis ipsius, sed etiam ipsis intercedētibus, reddere vitam æternam, vt clarè docet Aug. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 27. Sanè S. Ambros. non solū eos quibus benefecimus, sed & alios Sāctos pro eleēmosynarijs intercedere aſſimat. Sic enim hunc locum exponit. *Idco ait, Facite vobis amicos de mammona, vt largiendo pauperibus, Angelorum cæterorumque Sāctorum gratiam comparemus.* Vnde posterior Caluini cauillatio diluitur. Nā & quum indignis præstatur eleēmosyna, nō solū ratione operis fit retributio, sed iuxta Ambros. Sāctorum gratia comparatur, videl. vt pro nobis intercedant. Quamquā Christus præcipue pios pauperes intelligit quando eleēmosynis tantam mercedem repromittit, vt causa ab illo subiuncta manifestum facit. *Quicquid enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. Manet ergo firma Catholica doctrina, Caluini cauillationibus nequicquam impugnata.

Lib. 7. in  
Lucam.

## IN LVCAE CAP. 17.

10. *Quum feceritis omnia quaecunque præcepi vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus.*

**I**NSULTANT hoc loco hæretici contra meritum operum, maximè de condigno. *Praue arrogantiæ* (ait Caluinus) *damnantur hic omnes qui se apud Deum quicquam mereri fingunt.* Postea definit,

Meritum  
ex condi-  
gno de-  
fenditur.

M m 3      or